

1737.

1. Bandes, Gaspardus Leonidas : Monogrammatum Imperatorum ac regum Germanicorum & Corolo M. usque ad excennum Cesaris III Analysis et usus in probacionibus
2. Bandes, Gaspardus Leonidas : Ad analysis monogrammatum Imperatorum et regum Germ. praeparatio.
3. Baumer, Tom. Fridericus : Problema med'ca ris'kae inoculationem variolarum in utramque partem disputatum.
4. Christina, Th. Fridericus : Vindicia secundum lib. verbalem pro Morosis benefici cuncta Th. H. disiunum.
5. Guzman, Iacobus Fortis : De Porfide in sacris desulapio
- 6.⁹⁺⁶ Hommelius, Ferdinandus Augustus : An et quatenus certitudo corporis delicti in processu Criminis necessaria est. ? 2 Sept. 1737 : 1745^o
- 7⁹⁺⁶ Hommelius, Ferdinandus Augustus : De mitiganda justitia prima et restitutio nem reabilitatae 2 Sept. 1737 : 1757

1737

8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De sottemibus venditionum 17.
9. Toecker, Christ. Gottlieb: De adoptione personarum 15.
similque et malorum memoriae Herosinal
sacram - - invitat 16.
10. Toecker, Christ. Gottlieb: De fidei Langham 17.
similque et renunciacionis baccalaureorum philo
sophicarum (Johann Gottlieb Boscck etc.) instat
11. Haestrem, Abraham: De morte administratore et
et usufructuario bonorum uxoris athenaeus nivencius
similque collegia sua aetiva indicit.
12. Haestrem, Abraham: Dereco, si sit miserabilis perso-
na et l. mil. C. Augustus Imperator inter papillas
etc. provocare posse? similque collegia sua libe-
ra intimat.
13. Haestrem, Abraham: De septibus in foro Electorali
Saxonicis.

1737.

14. Kaestnerus, Abrahamus : *De filiorum nostro nata relecto.*
15. Kaestnerus, Abrahamus Gottliepus : *De justitia yarque spe.
cibus in Bristol. P.M. 5.*
16. Kappius, Iosephus : *Historia artemonis &
Artemonasterium.*
17. Kettner, Carol. Ern : *Ex Tramis Fabri episcopi Viennensis
Tramarii Lutheri vita et scriptio-*

90
1737, 8.

Q. D. B. V.
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
C O N S E N S V
D E

SOLLEMNIBVS VENDITIONVM

P R A E S I D E

DN. D. FERDIN. AVGVSTO HOMMELIO,
DE V. S. ET R. I. P. P. ORDIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESS.
PRAECEPTORE SVMMOPERE COLENDO

D I S S E R E T

A. ET R.

IOANNES AVGVSTVS SOHR,
GORL. LVSAT.

LIPSIAE D. XXIX. AVG. AN. M DCC XXXVII.

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.

LIBRARIA IMPRENTA ET TORVUM ORPINI
GODZIENIA

SORTIMENTIBVS VENDITIONVM

PARISIENSIS

BIBLIOTHECA VACUAS ET HOMINUM
DE AETATE ET PROGENIE ET LIBERTATE HUMANI ARSIS
PROFESSORI ET SAMOLOVI COFENDO

PARISIENSIS

LOVANNIA AUGUSTAE SOROR

GOETL TARTA

LIBRARIÆ D. XIX. V. 15. M. 1600. XXVII.
LIBRARIÆ LOVAN. CHRISTIANI ET MATHIAS HEMMELI



§. I.

Vemuis iuxta Iuris Naturalis principia liberum rerum suarum moderatorem esse atque arbitrum, et quoconque modo iis vti, quin et abuti posse, nullus est, qui dubitet. Hic ipse naturalis libertatis effectus inuoluit etiam facultatem bona sua ex dominio suo dimittendi in que alios transferendi cuiuis competentem, omnesque ambages et formulas excludit. Hac tam diu utimur libertate, quam diu legibus ea non restringitur ciuilibus. At enim vero Iura ciuilia libero huic res suas in alios transferendi arbitrio modum certum certumque terminum interdum posuerunt, cum reipublicae quam maxime intersit, ne quis re sua abutatur, atque omnia, quae geruntur, sincere et iusto decentique ordine fiant. Inde factum est, vt plura negotia, quae alias solis stabant paciscentium placitis, certam a Legibus acceperint formam, qua negiecta consistere haud possunt, sed pro irritis et inualidis reputantur. Idem in quibusuis alienationibus, et sigillatim in venditione, vt nobilissima eartum specie, obseruare licet, cum et leges et consuetudines formulas certas, certaque sollemnia exacte circa illam obseruanda variis in casibus nobis praescripserint, vt erro-

A

ribus

2 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

ribus fraudibusque hominum, quibus eiusmodi venditiones subiectae sunt, optimo modo occurri consilique possit. In haec venditionum sollemnia diuinis auspiciis inquirere, nostrum nunc est propositum.

§. II.

De venditionis itaque sollemnibus actuoribus ante omnia verum ac genuinum vtriusque vocis significatum annotare iuuabit. Vox *solennis* absque dubio a solere descendens primo et proprie quidem annuersarium significat, quod singulis annis statim die recurrunt; Sic a FESTO a) *solennia satra* dicuntur, quae certis temporibus annisque fieri solent, et apud PROPERTIVM b) *annua et solennia thalamo soluere* legimus. Eodem quoque sensu V L P I A N V S c) in Iure ferias solennes, flatas, certas et quotannis recurrentes, AVGVSTINVS vero d) solenne generatim id, quod quotannis celebrari solet, nominant. Altero significatu, maxime in legibus Romanis obuio, per sollempne intelligitur *legitimum*. Hinc Ius solenne e) pro legitimo, solennes actiones f), spatium solenne g), quale scil. LL. XII. Tabb. ad praescriptiōnem requirebatur, occurunt. h) Ultimo loco sollemnia denotant certas observationes a legibus praescriptas, stricte obseruandas. Quo sensu in legibus Adoptionis i), Testamenti k), Emancipationis l), nuptiarum et contractuum m) sollemnia

a) de V. S. v. Sollempne.

b) L. III. 9. conf. COLVMELLA de Agricult. L. I. c. 8. §. 6. L. VI. c. 27. §. 13.

c) L. 26. §. 7. D. ex quib. caef. mai.

d) Serm. CLXXXVI. de Temp.

e) L. 77. D. de Reg. Iur.

f) L. 2. §. 6. D. de O. I.

g) L. 1. pr. D. pro Date.

h) Plures significatus exhibet FRIESE in Difff. de Sollemnitatibus L. 1703.

i) L. 25. D. de Adopt. L. 1. C. eod. GELL. N. A. V. 19.

k) L. 29. §. 7. 8. D. qui test. fac. paſſ.

l) L. 9. C. de Adopt. L. 1. C. de Emanc. liber.

m) v. BRISSON, de V. S. v. Sollempne.

lemnia veniunt. Eodem quoque sensu venditionis sollemnia nominamus ea, quae a Lege ciuili extra ordinem, i. e. ultra naturalem formam et substantiam requiruntur. Per venditionem autem intelligimus conuentionem de re certa pro certo pretio tradenda, per quam subsecuta postmodum rei venditae traditione dominium in emtorem transit.ⁿ⁾ Ut itaque quaevi alienatio absoluuntur iusto titulo s. causa ad transferendum dominium habili, et modo s. traditione; sic idem quoque in venditione obseruamus, qua praeuia de re et pretio conuentione, et accidente rei traditione, rei dominium in alterum transfertur. Haec requisita, quatenus internam negotii formam respiciunt, actuique ita insunt, ut ab illo plane separari nequeant, a Dd. quibusdam sollemnium intrinsecorum nomine insigniri solent. Saepius tamen praeter haec requisita alia quoque ex legis dispositione extrinsecus accedunt, et ideo extrinseca vocari solent sollemnia, cum per se quidem ab actu separari possint, licet lex illum, et minus sollemnem haud approbet; haec ab aliis quoque *ναυτική σολεμνία* sollemnia nominantur, et de his nobis sermo est. Ratio, cur leges illa introduixerint, ex singulari fauore tam circa personas quam circa res certas, quas farta teat conseruare Reipubl. expedit, descendere videtur. Finis vero eorum imprimis eo tendit, ut fraudibus et cauillationibus, quibus venditiones haud raro alias euenterentur, omnis omnino via praeccludatur: Fallaciis enim atque fraudibus venditorum emtorum que leges ubique occurunt.^{o)} Quo magis ergo res dolo et exinde oriundo damno sunt subiectae, eo magis etiam leges earum venditiones sollemnia certa exacte obseruanda praescribendo

A 2

solent

ⁿ⁾ L. 4. C. de praed. et aliis etc. L. 67. D. de contr. emt. L. 12. C. de dist. pign.

^{o)} conf. L. I, §. 2. l. 37. D. de Aedilit. Edict.

4 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

solent restringere. Id quod quam maxime ex Romanorum et Germanorum legibus edocemur. Effectus denique eorum in eo se potissimum exferit, quod eiusmodi venditiones iis obseruatis celebratae firmae sint, iis vero neglectis ipso iure corruant ac destruantur. *)

§. III.

Prius tamen quam ad Rom. et Germ. legum sollemnia nos accingamus, quaedam ex Graecorum institutis praemittere non pigebit. Hos quod attinet, inter omnes iamiam constat, quanta huius gentis ad promissa infringenda, et eludenda fuerit proclivitas. Huc enim facit, quod apud PLATONEM p) legamus prohibitum, ne aliter venditiones inire licuerit, nisi praefens hinc merx, illinc pecunia fuerit tradita. Et eadem quoque ex causa apud Thurios rei emtae pretium eodem adhuc contractus die exhibendum fuisse, ex Theophrasti fragmento STOBAEVS q) refert. Mirum itaque haud est Graecorum leges moresue circa venditiones varia praescripsisse sollemnia, eaque pro gentium diuersitate diuersissima. Quibusdam enim in locis moris fuisse, allegatus STOBAEVS autor est, ut per quinque dies, antequam contractus confirmatur, per praecomenem diuulgaretur, si quis forte obsisteret, et possessionem domumque sibi vindicare posset. Athenis venditiones apud Magistratum perscribendae erant. Thuriorum leges domum ementem in Apollinis Epicomaei fano, praedium vero comparantem in vico, quem inhabitabat, sacra facere iusserunt, et iurare deinde coram Magistratu quod reuera iuste emat, nec fraudulenter agat, nec arte doloue vlo-

*) I. 5. C. de LL. I. 14. §. 1. C. de SS. Eccl.
p) de LL. L. XI.

q) de LL. et moribus Serm. 42. f. 28r. edit. Basil. 1549. fol. conf. SCHILTER. exerc. ad D. XXX. §. ult.

lo vtatur. A venditore quoque leges iuramentum exigebant, quod sine dolo malo rem venderet. Quo iuramento vtrinque nondum praestito a Magistratu venditio non inscribebatur. Extra vrbe vero habitanti sacrificandum fuit in Louis Agorae s. Forensis delubro. Apud alias porro Graecos, eodem Theophrasto teste, non nisi per praeconem res vendicasque plures ante dies praenunciari moris erat. De Rhodiis tandem testatur DIO CHRYSOSTOMVS *r.)* quod stipulatione interposita in duplum cauere, et integrum venditionis negotium per Actuarium in commentaria Reipublicae referre soliti fuerint. Plura facili negotio afferri possent, nisi adducta iam sufficere confideremus.

§. IV.

Quantum vero ad Romanorum et Germanorum Iura, haec pro rerum diuersitate varia circa venditiones requirunt sollemnia, idque tam in publicis, quae publica autoritate instituuntur, quam priuatis, quae a personis priuatis fiunt, animaduertimus. Ex posterioribus imprimis nominanda veniunt Nexus s. Mancipationis Romanae sollemnia, quibus antiquissimis temporibus ex Decemuirali lege res mancipi ita vendebantur, ut vendor euictionem earum praefstaret, eoque nomine duplotenus teneretur *s.).* Pertinet haec mancipationis sollemnis vnicce ad res mancipi: Res enim nec mancipi solenni isto modo vendi non debebant sed contractu tantum et traditione in dominium transibant, ita tamen, ut vendor earum euictionem non praefstaret, nisi quatenus eam stipulatus esset *t).* Qui igitur mancipio dabat rem nec man-

A 3

cipi,

r.) in Rhodiaca. conf OTTO Jurisprud. Symbol. c. 9. Ex. *r.*

s.) PAVL. Rec. Sent. L. II. Tit. *17.* §. 3.

t.) PAVL. l. c. §. 2. PLAVTVS in Pers. IV. 3. V. 55. 61.

6 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

cipi, nihil agebat, vt docet CICERO. u) Quemadmodum enim traditio propria species erat alienationis rerum nec mancipi, ita mancipatio propria alienatio rerum mancipi est. x) Quae autem fuerint veteribus res mancipi, quae nec mancipi, et quae proprie ratio res ita diuiserit, non satis est expeditum. BOETHIO y) res mancipi dicuntur, *quarum abalienatio per quandam nexus fiebat sollemnitatem*; Sed obscura satis ista est definitio: Quid enim per nexus hic intelligat commentator, non satis constat inter eruditos. Alii, quorum agmen ducit IACOBVS GOTHOFREDVS, z) nexus atque mancipationem vnum idemque esse autuant; Alii contra nexus a mancipatione differre contendunt, vid. RAEVARDVS a), IOH. FRID. GRONOVIVS, b) et SALMASIVS. c) Ludouicus Charondas d) res mancipi veteribus dici ait, quae in communi vsu versantur, et quas manu quodammodo capimus et tractamus, sed ita pleraque res mobiles, praeferunt pecunia, item arietes, oves, agni, caprae, hirci, similesue pecudes, quae dorso, colluie domantur, ad res mancipi pertinerent, quod tamen ob §. 1. citati Vlpiani probabile non est. e) E contrario CVIACIVS f) res omnes pretiosiores, et quae nobilissimam partem diuitiarum constituebant apud Romanos, ad res mancipi, viliores vero ad res nec mancipi pertinuisse autumat. Sed dubitamus, an hac ratione rem satis expedierit, nam et elephanti et camelii ad res

nec

- u) Topic. c. 10.
- x) VLPIANVS Fragm. XIX. §. 3. et 7.
- y) L. 3. Comment. in Topic. Cic.
- z) ad LL. XII. Tabb. Tab. VI. p. m. 10.
- a) ad LL. XII. Tabb. c. 10.
- b) in Epist. ad Salmas. 302. v. ILL. HEINECC. in Antiq. Rom. T. I. p. 43^o.
- c) de Vſur. c. 18.
- d) ad dict. Vlpiani locum.
- e) conf. et DN. VAN BYNCKERSHOECK in Tract. de rebus mancipient nec mancipi c. 7.
- f) in paratiti. ad Tit. C. de vſu cap. transform.

nec mancipi pertinent, g) qui tamen sine dubio pretiosiores erant mulis et asinis, quos in rerum mancipi numerum idem refert VLPIANVS. b) In tanto eruditorum dissensu, quaenam sint res mancipi, quae nec mancipi, non rectius tutiusque addiscet, quam exemplis, quorum plura recenset Vlpianus cit. §. i. hisque enumeratis addit, caeterae res nec mancipi sunt. Sed noua hic oritur quaestio non minoribus obnoxia dubiis, vtrum nimirum perfectam Vlpianus hic exhibuerit enumerationem, ita, vt quae res in ea haud continentur, eae nec rebus mancipi accensendae sint, quae mens esse videtur Dn. SCHVLTING i), an vero quaedam tantum exhibere voluerit exempla, quae posterior sententia nobis vindicetur probabilior. Certe enim vniiones quoque res mancipi fuisse probabile est ex PLINI Hist. Nat. k) quas tamen in Catalogo isto Vlpiani non reperimus. Quaenam vero haec nexus vel Mancipationis fuerint sollemnia ex CAII Institutis recenset paulo ante allegatus Boethius. Res, inquit, ita agebatur: Adhibitis non minus, quam quinque testibus Romanis, ciuibus, puberibus et praeterea alio eiusdem conditionis qui libram aeneam teneat, et appellatur libripens, is, qui mancipio accipit, s. emtor, aes tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex Iure Quiritium meum esse aio, isque mibi emitus esto hoc aere aeneaque libra. Deinde aere percunxit libram et aes dat ei, a quo mancipio rem accipit, quasi pretii loco. l) Primo igitur quinque nominantur testes, quorum praefentiam exigebant veteres m), siquidem quinarius

g) VLPIANVS Tit. XIX. §. 1.

b) ibid.

i) ad Frazm. Vlp. Tit. XIX. §. 3.

k) L. IX. c. 35. conf. CIVAC. Paratitl. tit. C. de Vfuc. form.

l) Decemviri ali vero aeuo ut verum rei pretium, teste SCHVLTING. I. Antci. ad Cai. Inst. L. 1. Tit. 6. §. 3.

m) VLPIANVS L. c. §. 3. PRISCIANVS L. VI.

8 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

narius iste testium numerus in variis eorum negotiis sollemnisi erat. Sic eodem modo quinque testes adhibendi erant in testamentis per aes et libram, quae sub specie mancipationis sollemnisi peragebantur, *n*) nec non quoties agebatur de partu monstroso exponendo, *o*) manumissio per epistolam, itidemque inter amicos, siebat quoque interueniente quinque testium numero. *p*) Nota horum testium partim ciuilis erat, partim naturalis. Naturalis in eo consistebat, vt essent mares, puberes, siquidem Romanoru[m] Leges antiquae foeminas et impuberess a quibuscumque negotiis sollemnibus celebrandis excludebant. Ciuilis vero erat, vt essent ciues Romani. Inter omnes enim constat, quod neque in testamentis, neque in aliis negotiis, vbi testium praesentia sollemnitas est, alii quam ciues Romani, admissi fuerint. Alterum sollempne Mancipationis erat, *quod celebrari illa potuerit non, nisi inter solos ciues Romanos*. Illud elucefecit partim ex eo, quod in mancipatione de dominio Quiritario transferendo ageretur, cuius soli ciues Romani erant capaces, partim ex Caii verbis apud eundem BOETHIUM: *Quod ipsum proprium Ius Romanorum est ciuium*. Ampliatis tamen Romani Imperii finibus Latinis quoque, Colonariis et Latinis Iunianis, denique omnibus peregrinis *q*) una cum aliis Romanorum Ciuium Juribus sicut concessum. *r*) Porro Mancipationis sollemnibus annumeranda *Libripendis praesentia*. Hunc eam ob causam hocce

n) §. 1. *I. de Testam. ordin.**o*) DIONYS. HALICARNASS. *Antiqu. L. II. c. 15.**p*) conf. III. HEINECC. *ELEM. INSTIT. §. 101, 102.**q*) *L. 17. D. de statu hom. L. vn. C. de dedit. libert. toll. L. vn. C. de lat. libert. toll. NOU. LXXVIII. c. 5. conf. III. HEINECC. *Antiqu. L. I. T. 4. §. 10.***r*) VLPIAN. *TIT. XIX. §. 4. conf. BRSISON. de Formal. L. VI. p. 513. edit. Wechel. BRVMMER. ad L. CINC. c. 13. §. 2. 12.*

hocce nomine insigniri ex antiquo vocabulario docet BRISONIVS, s) quod libram pendentem sustinuerit, siue, quod de eius manibus libra pependerit. Hanc librae adhibenda sollemnitatem inde profectam esse nemo necit, quod primo veteris argentum appendere, non numerare solerent: t) quamvis postea, recepto pecuniae signatae vsu, librae, ceu insigni Iustitiae, contractuum Deae, sua seruata fuerit dignitas. u) Praeter Libripendem aliis quoque sub Antestari nomine notus aderat. Cuius quidem apud Boethium nulla fit mentio, imo et apud Vlpianum altum de eo silentium; eius tamen meminit c A I V S x) et in eius etiam praesentia vindicanda totus fuit BRVMMERVS. y) Caeu interim, ne Antestatum istum confundas cum testibus aut libripende, quod perperam fecit GVTHERIVS z), nec non Dn. STVRM. a) Hoc vero ille imprimis fungebatur officio, vt ad mancipationis sollemnia quinque testes conuocaret, illisque vna cum Libripende interestet, et testium aures ante eam peractam semel iterumque in rei gestae memoriam velleret. Mancipationis denique negotium, vt supra ex Caio vidimus, ita peragebatur: Is, qui rem mancipio accipiebat, f. emtor, aes tenens ita dixit: *Hunc ego hominem ex Iure Quiritium meum esse aio, isque mibi emtus esto hoc aere aeneaque libra, et deinde venditor, vt emtor raudusculo f. aere libram feriret, iussit, ea que percussa emtor venditori raudusculum tradidit.* Olim

B

qui-

s) L. XI. de V. S.

z) PLIN. L. XXXIII. c. 3.

n) MARCIL. ad LL. XII. Tabb. c. 14. p. 57. conf. SCHVLTING. Iurispr. Antei, ad Caii Inflit. L. I. tit. 6. § 3.

x) L. I. Infl. Tit. 6. §. 3. y) all. I. §. 5.

z) L. II. de I. Pontific. c. 6.

a) in Diff. de restam. temp. possis cond. c. I. n. 10. conf. SCHVLTING. l. c. ILL. HEINECC. l. c. T. I. p. 179.

10 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

quidem, vt ex FESTO b), VARRONE que c) edocemur, hoc aes verum premium erat, postea vero nudus tantum offerebatur numimus d), ex cuius datione fluxere emtiones imaginariae Iurisperitorum ingenii excogitatae. e) Horum follempnum causam BYNCKERSHOECK f) in eo ponit, quod res mancipi pretiosissimas semper Romani veteres habuerint, ideoque eas non nisi sollemnibus certis alienandas duxerint, quod tamen ex rationibus supra adductis tam expediti Iuris non est. Sed vt cunque sit, tota haec distincio iam dudum in desuetudinem abiit, indeque est, quod nulla eius in universo Iuris Iustiniane corpore deprehendatur mentio, sicut et quae huic inititur in dominium Quiritarium et Bonitatum diuisio penitus sublata est in L. vn. C. de nud. Iur. Quir. toll. g) Nihil aliud enim erat, si Imperatori credimus in tit. l. vn., dominium illud Quiritarium, quam vacuum et superfluum verbum, antiquae subtilitatis ludibrium, aut anigma, quod nunquam videtur, aut in rebus appetet: Quae vera quidem esse poterant Caefaris aeo, secus forte ac olim, de quo tamen hodie satis non constat.

S. V.

Sunt et aliae venditiones priuatae, in quibus leges certa requirunt sollemnia; Ex his primum nominabimus venditionem rerum pupillarum. Quibus enim de singulari legum Romanarum erga pupilos minoresue fauore constat, illis minorum non erit, easdem leges Romanas non modo circa quamcunque rerum pupillarum et Minorum alienationem, sed imprimis etiam circa venditionem, vt nobilissimam et frequentiorem

b) v. Rhodus.

c) de LL. L. V.

d) auctore Theophilo §. praeterea Inſt. Quidam modis ius patr. pot.

e) conf. MARCIL. ad LL. XII. Tabb. c. 14. p. 60.

f) l. c. c. 2.

g) conf. §. 40. 9. de Rer. diuis. l. vn. C. de vſucap. transf. etc.

DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

ii

torem alienationis speciem, varia exegisse sollemnia. Primo loco nominanda autoritas et consensus Tutoris et Curatoris; Minores enim ob defectum aetatis, quid ipsis conducat aut detrimento sit, non intelligere, Leges praefumunt, vnde licet alios sibi obligatos reddere valeant, ex contractu tamen cum aliis inito non teneri eos illae voluerunt, nisi adhibito tutoris curatorisque consensu fuerit celebratus. Continetur hoc expressis verbis in L. 13. §. 29. D. de Aſ. E. V. L. 22. C. de Adm. Tut. L. 3. C. de Aut. praef. et L. fin. C. si propt. publ. penſitat. Quod plurimi Interpretum non immerito eo extendunt, quod, licet venditio consentientibus proximis pupilli consanguineis facta sit, neutquam tamen illa subsistere possit, nisi simul quoque adsit tutoris et curatoris autoritas. b) Praeter hunc tutoris curatorisque consensum in omnibus pupilli s. minoris negotiis, ex quibus ipsis praeiudicium oriri potest, adhibeat porro opus est causae cognitio. Primo enim probe dispiendum, an reuera adsit necessitas, ita, vt pupillo alias succurri plane non possit, nisi vendendo. Talis v. c. est aes alienum i) ita vrgens, vt credidores assidue instent, premant, cogant. Ob modicum enim aes alienum locum non inuenit venditio, imo nec utilis causa sufficit. k) Deinde sollicite inquirendum, anne magis conducat, rem pupilli oppignorare tantum, quam vendere. l) Si vero venditionem Iudex decernat, nihilo tamen minus inuigilare tenetur, ne propter modicum aes alienum magna distrahabatur posseſſio, sed minorem potius, et quae minorem utilitatem praefat, prius vendi curet. m) Causae cognitionem

B 2

tionem

b) vid. ILL. LEYSER. Med. ad. D. Spec. 331. med. 1. et Sp. 344.

i) L. 12. C. de praed. et aliis.

k) p. L. 5. §. 14. et L. 13. pr. D. de reb. cor. qui etc. conf. LVDOVICI
ad b. T. CARPZ. L. V. Resp. 72.

l) L. 5. §. 10. D. b. f.

m) LVDOV. et CARPZOV. all. l.

tionem tertio ex legum Romanarum dispositione sequi debet decretum et autoritas Magistratus, *n*) idque certum et determinatum; *o*) Hinc omnium fere praecipuum sollemnitatem nominat REINKING *p*), cum iudicis consensu interueniente omnis fraudis et laesione suspicio presumatur exulare. Decreto itaque judiciali deficiente minor honorum venditorum dominus manere dicitur *q*), cum quo etiam conspirat Ius Canonicum. *r*) Hoc decretum regulariter interponit iudex rei sitae, *s*) interdum tamen et sufficit iudicis domicili autoritas. *t*) Vtriusque tamen decretum adhibere tutius esse suadent BERLICHIVS *u*) et IAC. GOTHOFREDVS. *x*) Excipe tamen casus speciales, in quibus magistratus decretum non requiritur, v. g. si venditionem rerum pupillarium Princeps per Rescriptum permisit; *y*) Principis enim Rescriptum, inquit BALDVVS, *z*) idem operatur, quod decretum iudicis inferioris sollemniter enunciatum. Exceptio quoque est in venditione necessaria: *a*) Itidem, si minor alienationem iumento

n) *L. 13. de reb. corum, qui etc., L. 22. C. de Adm. Inst. L. 2. 3. 4. C. de praed. et aliis reb. minor.*

o) *per L. 7. §. 4. D. de reb. cor. qui etc.*

p) *in Tr. de Retr. consangu. p. 148.*

q) *in L. 15. 16. C. de praed. min.*

r) *c. 6. verb. fin. X. de reb. eccl. al. c. 2. X. cod. c. 52, caus. 12. qu. 2.*

s) *p. L. 16. C. de praed. min.*

t) *I. 5. §. 12. D. de reb. cor. qui etc. Olim vero eiusmodi venditiones fiebant auctoritate Magistratus, cui hoc speciali lege mandatum erat. v. L. 2. §. 1. D. de offic. ei. cui mand.*

u) *P. i. decif. 20. n. 5.*

x) *ad d. I. 5. §. 12.*

y) *p. L. 2. C. quando decreto op. non fit. Diff. REITER. de Alienat. P. I. c. 11. scđt. 7.*

z) *ad all. I. C.*

a) *L. 1. §. 2. D. de reb. cor. qui etc. L. 17. C. de praed. min.*

ramento confirmauit, b) quoniam secundum Ius Canonicum omnia iuramenta, quae non tendunt in praeiudicium tertii, vel dispendium salutis aeternae seruanda sunt. c) Tribus hisce memoratis sollemnibus non rite obseruatis venditio bonorum pupillorum minorum ipso iure nulla declaratur, d) ita, vt minor s. pupillus maiorem nactus aetatem, absque praeuia in integrum restitutione, bona ista vindicare queat. Imo ob vnius modo requisiti desectum venditio haud subsistit, vtut maxime reliqua fuerint obseruata. e) Id quod tamen plerique Interpretum ad Immobilia tantum et mobilium pretiosiora et quae seruando seruari possunt, restringere solent, f) cum in aliis meram tutoris curatorisue autoritatem sufficere credant. g) Silentio vero praeterendum non est, quod, licet non iuris ciuilis autoritate, fori tamen consuetudine, CARPOZOVIVS h) R. BERGERVS, i) aliquie sollemnibus in distractis rebus minorum et pupillorum necessariis quartum adhuc addant, vt nimirum mediante subhasta-

B 3

tions

b) arg. Autb. sacramenta. C. Si adu. vendit.

c) c. 28. X de iureiur. c. 2. de pacis in VI. STRYCK. l.c. SCHOEPFER. ad T. D. de reb. cor. qui etc. ubi et plures exceptiones suppediat.

d) et pronunciatur: Das der Kauff aus Mangel gebuhslicher Solennitaeten, so die Rechte bey Verkauffung der unmündigen unbeweglichen Güter erfordern, für kräftig nicht zu achten, v. PHILIPPI de fakbaff. c. 2. coimm. 2. n. 22.

e) v. PHILIPPI. l. c. n. 20. Nota tamen, quod si praedium minoris cum decreto et sollemnibus caeteris creditori iannam obligatum fuerit, licete ab eadem absque repetitis hisce sollemnibus vendi possit. L. 2. C. de praed. min. L. 7. §. 1. D. de reb. cor. qui etc. conf. HENR. GIVS. P. II. quaest. §. 8.

f) L. 22. C. de adm. Tat. conf. ord. polit. Magdeb. c. 43. §. 7.

g) conspirant. STAT. HAMB. P. III. T. 6. art. 17.

b) L. V. Resp. 82

i) Oec. Iur. L. 1. T. 4. §. 11. et CPHH. HENR. de BERGER. decif. summa. prouoc. senat. decif. 484.

tione illae vendantur, quam sententiam allegati Autores etiam praeiudicis firmant. Ast contra Ius impingere hanc sollemnitatem nec satis aequam esse monent SCHACHERVS *k)* et ILL. LEYSERVUS, *l)* cum de ea Leges non modo prorsus fileant, sed et praeiudicium, quod per substaftationem verum rei pretium optime indagari, eaque laesio euitari possit, ipsi saepius experientiae aduersetur. Multo magis vero haec sollemnitas omittitur, si consuetudine aliud sit introductum. *m)* Illud denique monere expedit, quod, quae de pupillorum minorumque bonis diximus ad furiosorum et mente captorum et absentium, *n)* etc. bona quoque extendi et utiliter applicari soleant, cum et haec personae iuribus et priuilegiis minorum fruantur.

§. VI.

A minoribus transgredimur ad res ecclesiarum, cum et haec in iure minoribus aequiparentur. *o)* Sacrarum quidem rerum, quae ad usum sacrum destinatae sunt, omnis omnino iure Romano vetita erat alienatio, *p)* paucis tantum casibus exceptis, quos vide apud STRYCKIVM. *q)* Caeterae vero res ecclesiasticae omnino admittunt alienationem; interim difficilior earum, quam rerum priuatarum, est venditio: Haec enim ut sit legitima, non nisi certis adhibitis sollemnibus efficitur. Sollemnia ista cum iis, quae ad rerum minorum venditionis requiruntur, fere coincidunt: Primo enim iridem adcurata opus est cognitione causae; siquidem non nisi ob iustum

k) Coll. praef. ad Tit. D. de reb. cor. qui etc. p. 475.

l) Med. 4. spec. 344.

m) telle PHILIPPI l. c. p. 48.

n) vid. de BERGER. decis. 52. quicquid contradicat BEYER. in delineat. Iur. Germ. L. 1. c. 27. §. 52.

o) L. 4. C. ex quib. cauf. mai.

p) §. 8. I. de diuis. rer. et L. 21. C. de SS. Eccles.

q) de cauit. contract. f. 1. c. 3.

iustum causam ad bonorum Ecclesiasticorum venditionem perueniri potest. Iustum vero causam nonnulli Dd. quadruplicem esse statuunt, necessitatis nimirum, pietatis, utilitatis, et incommoditatis; sed commodius ad duas saltem species referri posse credimus, necessitatis scilicet et utilitatis. *r)* Necessitatis causas Ius Romanum sequentes determininat: 1) aes alienum vrgens, *s)* si nimirum ecclesia aere alieno ita sit gravata, vt nisi bonis venditis illi succurri nequeat. 2) ingruentem belli calamitatem ad propellendum hostem, *t)* cum vix maior possit esse necessitas, quam vt patria ab hostilibus insultibus liberetur, 3) redemtionem captiivorum, *u)* animae enim redemptio omnibus aliis rebus pretiosior dicitur, *x)* 4) sustentationem pauperum, *y)* siquidem ecclesia pecuniam habet, non vt seruet, sed vt subueniat in necessitatibus; 5) venerabilis domus restaurationem. *z)* Utilitatis ratio fese exserit, si nullus fere redditus ex bonis alienandis proueniat, *a)* nec non si maioris utilitatis bona possunt comparari. *b)* Et hanc utilitatis rationem etiam respicere iubet Ius Canonicum. *c)* Praeter causae cognitionem requiritur porro, Episcopi consensus et autoritas, et tandem, vt per viginti dies rem ecclesiae ve-

nalem

r) qua in re haec bona discrepant a bonis minorum, et pupillorum, quae utilitatis causa neutquam alienari possunt, ob supra add.

s) Antb. Hoc ius C. de SS. Eccles. Nou. c. 10.

t) L. 17. C. eod.

u) L. 17. C. eod. Nou. LXV. c. 10. Nou. CXX. c. 9.

x) in Nou. LXV. c. 10.

y) L. 21. C. de SS. Eccles. Nou. all. LXV.

z) L. 17. C. de SS. Eccles.

a) Nou. CXIX. c. pen. CXX. c. 1.

b) Nou. CXX. c. 10.

c) v. causa 12. qu. 1. c. 8. X. de reb. eccles. non, alien. conf. HVBBK.
ad D. L. XX. T. 3. STRYCK. l. c.

nalem esse, publice notum sit, et plus offerenti ea detur. d) Ius Canonicum eadem quidem, quae ius ciuale, in bonorum ecclesiasticorum venditione requirit sollemnia, e) nihilominus tamen iis non est contentum, sed pluribus adhuc subtilitatibus et obseruationibus eam circumscriptit, quae ideo quoque ab interpretibus canoniarum sollemnitudinum nomine insigniri solent. Praeter haec tenus enim recensita exigit ius canonicum, ut Praesul, vel ecclesiae Antistes proposuerit alienationem; ut integrum capitulum, sive Clericos suos omnes conuocauerit; ut illi in causam exacte inquisuerint; ut singulorum suffragia fuerint exquisita; ut clerici quoque instrumentum alienationis signarint; ut Pontifex Romanus alienationem confirmauerit; et id genus alia, quae recenset III. LEYSER in Med. ad D. 1. spec. 24. f) quae sollemnia si obseruata non fuerint, alienatio tam Iure ciuali, quam canonico nullius est effectus g) alienans quoque officio priuatur, deponitur et damnum ecclesiae illatum tenetur restituere; b) recipiens vero rem cum fructibus reddit, et ob premium solutum regressum tantum aduersus alienantem habet. i) His itaque praefuspositis facili negotio inferre licebit, quam difficiles sint rerum ecclesiasticarum secundum Ius canonicum alienationes, et quam rarae esse debeat, ob pericula emtoribus imminentia. Iam suo tempore de hoc iuris canonici rigore conquestus est WESEMBECK k) putans, si haec omnia exacte

d) p. Autb. Hoc ius C. de SS. eccl. L. 14. 17. eod. Nou. CXIX. CXX.

e) CARPOV. L. V. Resp. 52.

f) plura adhuc a Ictis, ast praeter LL. autoritatem introducta recenset PAPONIVS in Corp. Iur. Franc. L. I. T. 13.

g) c. 6. de reb. eccl. non al. c. 10. 32. 37. 52. cauf. 12. qu. 2. L. 14. C. de SS. eccl. L. 5. C. de LL.

b) c. 18. 35. cauf. 12. qu. 2. L. 14. C. de SS. Eccl.

i) c. 2. cauf. 16. qu. 2. et all. L. 14. eod.

k) confit. 52. n. 13.

exæste seruanda essent sollemnia, vix vilam ratam manere rerum ecclesiasticarum alienationem, idque eum vna cum aliis *l)* mouit, vt, licet vnum alterumue sollemne deferset, nihilo tamen minus alienationem ratam esse debere, statuar. Respuunt etiam hanc subtilitatem canonicanam Iura Protestantium; Licet enim agnoscant iustam alienationis causam, et causæ cognitionem, praeter Principis tamen siue Consistorii, pér quod Iura Episcopalia hic solet exercere, vt et Patroni *m)* et Parochi, *n)* consensum haud facile quicquam exigunt. *o)* Quo iure etiam utimur in alienatione rerum, quae piis corporibus propria sunt, et bonis ecclesiasticis aequiparantur, v. c. Academiarum, Nosocomiorum, Xenodochiorum, teste CARPOVIO. *p)* Monet interim STRYCKIVS *q)* vbi inter Protestantes adhuc supersint ecclesiae cathedrales vel capitula, in horum bonorum alienatione stricte attendenda esse iuris canonici sollemnia, cum quoad iura ecclesiarum ex iure canonico decisio semper sit haurienda. Quod ad minimum ita temperandum esse putamus, vt eatenus tantum obtineat, quatenus ea statui ecclesiastico et Principiis protestantium non contrariantur. Quare v. g. Pontificis confirmatio nequitiam est necessaria.

§. VII.

Pari modo res ciuitatum, quae ecclesiasticis in Iure comparantur, *r)* non nisi certis adhibitis sollemnibus vendi di-

C fstrahi-

l) vid. VAN ESPEN. in *I. eccl. uniuerso*, P. II. T. 36. et *ILL. LEYSER.*
loco paulo ante excitato.

m) Art. gener. 28. 35. *Decret. synod. de a. 1624.* §. wie es aber. in *Cod. Aug. T. 1.* p. 790.

n) vti in Marchia vid. *ORDIN. CONSIST. MARCH. Tit. 5.*

o) conf. CARPOV. *L. V. Rep. 52.*

p) *I. c.* *q)* *I. c. f. i. c. 3.*

r) *L. 23. C. de. SS. eccl.*

18 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

strahique fas est, s) cum et his haud parum damni praeiudicique per venditionem possit contingere, e contrario vero ciuitatum, quam maxime intersit, bona earum farta tecta conservari. Ne itaque quis in alienandis rebus ciuitatum aduersus harum commoda quicquam moliri possit incommodi, Leonis Imperatoris in all. L. 3. indefessa prospexit cura, vt earum venditio certis restringeretur sollemnibus. Praeter consensum enim ciuitatis, i. e. Senatus ciuiumque, vel eorum, qui eos repraesentant, qui tamen ad substantialia magis, quam sollemnia pertinet, requiritur t) vt Senatus et ciues sollempniter, i. e. propositis SS. Scripturis iurare debeant, se venditionem ciuitati credere vtilem. Iuramenti tamen loco Dd. hodie sufficere putant, si per iusurandum, quo ciuitati ab initio suscepit officii se obstrinxerunt (bey dem Eyde, damit sie dem gemeinen Wesen und Besten verpflichtet,) admoniti sententiam promant. t) Deinde opus est Scripturae sollemnitate, i. e. vt sollempne venditionis Instrumentum super ea conficiatur, u) de cuius requisitis egit STRYCKIUS, x) quae tamen scriptura diuersa est ab Instrumento Syndicatus. Tertio notamus, eiusmodi venditionem non nisi Principis consensu et autoritate procedere, ob verba all. L. 3. imperiali autoritate: y) Notum enim est ex iure Romano, quod quemadmodum Princeps ipse ab omni fraudis suspicione liber est atque alienus, ita ea etiam, quae autoritate et consensu eius sunt, omni fraudis suspicione careant. Merito autem hic quaerimus: Anne solus Principis consensus sufficere possit ad vendenda bona ciuitatis, ita, vt

s) L. 3. C. de vendit. rer. ciuit. L. 1. et rot. Tit. C. de praed. decur.

t) conf. REITER. l. c. P. 1. c. 18. f. 12. n. 13. 14.

u) p. Nou. VII. c. 1.

x) in diff. de alienat. ver. atque bonor. ciuit. c. 4. n. 116.

y) v. ILL. LEYSER. Medit. ad D. 4. spec. 190.

vt caetera sollemnia, quae in *all. l.* continentur, impune omittantur? Primo quidem intuitu affirmativa videtur amplectenda, eam ob causam quod Princeps omnem sollemnium defectum supplere in *LL.* dicatur; 2) quin imo coram Principe acta omnem controversiam excludant. Pro negativa tamen potius cum *STRYCKIO a)* pronunciandum esse credimus: Sollemnia enim ista in *all. l.* coniunctim et copulatiue requiruntur, hinc nec alterutrum factum fuisse sufficit. Hisce recensitis sollemnibus addunt denique iuris communis interpres, vt decretum iudicis interponatur, nec non venditio praevia peragatur subhastatione; Priori tamen, ob adhibitum Principis consensum, opus esse non videtur, *b)* nec posterius, ob deficientem expressam legis dispositiōnem alienationem potest destruere, nisi forsitan statuto ciuitatis aliud introductum sit. Hisce memoratis sollemnibus nec renunciare potest ciuitas, sed iis neglectis tota vitiatur venditio. *c)*

§. VIII.

Dotalem fundum, sive res immobiles vxoris inaestimato in dotem datas, maritus Iure Romano penitus prohibetur alienare, *d)* ita, vt ne consentiente quidem vxore facta alienatio subsistat, *e)* ex ratione, quam ipse Imperator suppeditat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae mulierum conuertatur. Nec per ratihabitionem vxoris ista conualescit alienatio, quoniam qui ab initio consentire nequit,

C 2

nec

z.) L. 10. C. de testament.

a.) L. c. n. 10.

b.) L. 2. C. quando decr. op. non est.

c.) plura vid. ap. a SANDE de prohib. rer. alienat. STRYCK. all. l. et de caut. contract. f. 1. c. 3. REITER. all. l.

d.) p. L. 1. D. de fund. dotal.

e.) arg. pr. I. quib. alien. lic. etc.

nec postea ratum habere potest. Enimuero et illam leges Romanae admittunt, si adsit causa necessaria, f) quae tamen necessitas ex mente interpretum ita comparata esse debet, ut sit summa, et ut non solum maritum, sed vxorem ipsam adficiat. g) Qua ex causa etiam inferunt, fundum dotalem minus recte vendi, etsi aes alienum maritum urgeat. Valer quoque rei dotalis alienatio, si vxor post biennium consensum suum denuo repetierit, h) secundum iuris vero canonici principia alienatio rescindi haud potest, si mulier iurato in eam consenserit. i) Quam iuramenti sollemnitas plurimi 1Ctorum etiam de Iure Saxonico obtinere tradunt, k) licet alii sat multis dissentientibus. B. BERGERVS l) iuramentum in Saxonia plane non requiri contendit, si modo curator specialis fuerit adhibitus. Alii cum STRYCKIO m) praeter curatoris consensum et Magistratus decretum exigunt. Bona quod atinet Paraphernalia, nec haec absque omni sollemnitate iure hodierno vendi alienarique possunt. Praeter mari- ti enim consensum, quem non, modo iura antiqua, n) sed et nouiora o) exigunt, in eorum venditione peculiari insuper curatoris consensu et autoritate opus est, eo casu, si vxor sibi in

f) p. text. L. 1. pr. D. de fund. dot. L. 2. C. eod.

g) conf. III. LEYSER. Med. ad D. Spec. 312. med. 14.

h) Nou. LXI. c. 1. conf. SCHOPPFER. ad Tit. D. de fund. dof.

i) p. c. 28. X. de iurein. c. 2. de iurein. in VI.

k) vid. STRV. S. I. C. exerc. XXX. th. 21. SCHVLTZ. ad Inst. Tit. quib. alien. Nc. p. 219.

l) Oecon. Iur. L. 1. T. 3. §. 10. n. 21.

m) cit. L. 22. conf. RICHTER. de Jaceff. scf. IV. m. 2. n. 10. et III. de LVDVIG. diff. de differ. Iur. Rom. et Germ. in dote diff. 6.

n) p. text. L. 2. Art. 1. 2c. Ein Weib mag ohne ihres Mannes Uelaub ille eigen nicht verkaussen. conf. I. Suen. c. 110.

o) Decif. El. XXIV. ibique PHILIPPI. Mand. Reg. de A. 1722. d. 28. Non in Ap. Ord. Reg. n. 12. conf. III. LEYSER. Spec. 302. med. 13.

in omnibus suis rebus curatorem generalem constitui curauerit, *p*) nec non si marito bona sua vendat, aut eorum venditionem in mariti fauorem celebreret. Quam sollemnitatem I^cti Saxonici ad foeminas quoque extraneas in Saxonia contrahentes recte extendunt, cum circa formam actuum sollemnia et consuetudines, quae in loco, vbi celebrantur, obtinent, stricte sint attendendae; *q*) Quemadmodum simili ratione foeminae Saxonicae extra Saxoniam bona sua vendentes curatoris autoritate haud indigent, quamuis et tunc maioris securitatis causa curatorem adhiberi suadeat STRYCKIUS. *r*) Imo et si plures curatores foemina habeat, omnes sub nullitatis vitio adhibendos esse censet PHILIPPI. *s*) Praeter curatoris consensum alii Dd. et causae cognitionem et magistratus decretum exigunt, ast utrumque absque Iuris fundamento praescribi, nec in Praxi attendi recte monet PHILIPPI *t*) consentiente CARPOVIO, *u*) quare nec horum omissio eiusmodi venditionem hodie facile destruet.

§. IX.

A fundi dotalis venditione transitum nunc faciamus ad alienationem Geradae, quae itidem non nisi certis obseruatissimis requisitis et sollemnibus rata firmaque esse potest. Imprimis circa eius donationem Iura Saxonica formae loco varia desiderant, quae recenset PHILIPPI. *x*) A donatione tamen ad venditionem in hoc casu non valet consequentia,

C 3

cum

p) Mand. Reg. all. PHILIPPI. I. c.

q) v. CARPOV. diff. quatenus obligantur Forenses statuto alienae ciuitatis. BEYER. delin. I. Germ. L. 1. c. 27 §. 42.

r) de caus contract. f. 1. c. 2. §. 30.

s) ad Decis. XIV. obsf. 1. conf. STRYCK. I. c. §. 29.

t) all. I. obsf. 6.

u) ad. P III C 23. def. 21. It. L. V. Resp. 42. n. 15.

x) ad Decis. XXII. obsf. 2.

cum eius venditionis libertas tot ambagibus et limitibus non sit restricta. Sunt tamen etiam in venditione Geradae quae-dam obseruanda sollemnia, quae pro instituti ratione nunc paucis indicabimus. Sed ut distincte procedamus a venditione totius geradae probe fecernenda est alienatio rerum gera-dicarum singularium. Harum venditio a foerninis solutis facta, quoad Saxoniam, nullis sollempnitatis est adstricta, sed pro lubitu fieri potest ob generalitatem *Conflit. XV. P. II. et Rescr. Reg. de an. 1722. adiecto in App. Ord. Rec. n. 12. p. 124.* quamuis dissentiat BEYER. y) et MOLLERVS, z) proximae cognatae consensum sollempnitatis gratia requirentes, cum de illo leges Saxonicae nihil expressis verbis caueant. a) Si foeminae e contrario sint maritatae earum venditio non nisi adhibito mariti, et, si peculiari curatore gaudeat, et huius, consensu et autoritate subsistit, alias enim illa ipso Iure nulla est, nec post mariti mortem requiriicit. Circa venditionem totius Geradae, quatenus intelligitur vniuersitas qua-rundam rerum mobilium, quae mortua foemina ex bonis ipsius proximae cognatae debentur, itidem obseruari debet, vtrum illa a soluta fiat, an a maritata. Solutam autoritate curatoris geradam vendere all. *Mand. Sax.* iubet. De vxore autem vendente ita tene: Aut vendit illam extraneo, aut marito. Priori casu et curatoris et mariti consensu opus est; altero vero curatoris tantum. b) Quod etiam obtinet, quando venditio Geradae cum marito in testamento fuerit celebrata, teste CARPZOVI, r) et licet minori vel

mini-

y) in *Delin. Iur. Germ.* L. 2. c. 15. §. 55.z) ad d. *Conflit.*

a) conf. CARPZOV. ad P. 2. C. 14. def. 19.

b) v. CARPZOV. ad P. 2. C. 13. def. 10. B. BERGER. *Oev. Iur. L.* n. T. 4. §. 3.s) ad P. 2. C. 15. def. 9. Diff. MOLLER. ad d. *Conflit.*

minimo pretio vendatur, nihilominus tamen proximae cognatae eius venditionem remedio L. 2. C. de resind. vendit, rescindere et annullare haud licet. d)

§. X.

Nec pignorum venditio omni carebat sollemnitate: Iure enim Romano creditor possessionem pignoris adeptus, si illi a debitore non satis fiat, recte quidem progrereditur ad eius distractionem, atque venditionem, cum cogi non possit, ut perpetuo pignus custodiat; e) nihilo tamen minus eius venditio iure haud valet, nisi obseruatis quibusdam sollemnibus. Peragi vero solet haec venditio vel in iudicio, vel extra iudicium. Prior, quae iudicialis audit, et qua pignora iudicia disrahuntur, fit mediante subhaftatione, de qua infra. Extrajudiciale vero, quae priuata tantum autoritate instituitur, et eo tantum casu obtinet, si debitor sit in mora soluendi, f) (cum alias sine ea ad distractionem nunquam perueniri possit, g) itidem sollemniter, i. e. obseruatis certis requisitis, peragi leges iubent. h) Quae sollemnia ex ipsis Romanorum legibus paucis indicabimus. Primo, illa fiat venditio, necesse est ab ipso creditore, cui pignus iure obligatum; i) Porro iuxta modum conuentum, k) tertio, si nihil conuentum, ut vna de pignore vendendo antecedat denuncatio, l) ut nimirum debitor adsit venditioni, et num bona fide peragatur, videat, ne creditori postea fraus et dolus obiici possit, quae vero, si pactum de non alienando accerserit,

d) CARPOV, all. I. def. 11. 12.

e) §. 1. I. quib. alien. sic. etc.

f) L. 2. 4. C. si vend. pign. conf. MEVIVS. L. VIII. Decis. 250.

g) L. 4. D. de pignor. act. L. 7. C. eod.

h) L. 9. C. de dist. pign.

i) L. 11. C. eod.

j) L. 4. C. eod. L. fin. §. 1. C. de iure domin.

serit, ter repeti debet. *m*) Quarto, vt adhibeantur testes, *n*) quorum tamen praesentiam aliis ad melius tantum esse et probationis commodum pertinere contendunt. *o*) Quinto, vt biennium sit elapsum, quod ad luendum pignus debitori permittitur. *p*) Sexto denique, vt pignus publice proscribatur, s. in loco publico celebriori indicetur, rem esse venalem. *q*) Haud tamen sub hasta fiat necesse est. *r*) Quod si hoc modo recte atque ordine distracta sunt atque tradita, iustum plerumque eorum dominium in emtorem transferuntur, *s*) nec debitor postea creditori, quod debuit, pretium offerens illa euincere potest. *t*) Moribus hodiernis in distractione pignorum dispositionem Iuris Romani eatenus obtinere credimus, quatenus illi per leges expressas non est derogatum. Biennii tamen expectatio eo magis cessabit, quo magis adhuc sub iudice lis est, anne biennium illud ad eum solummodo casum pertinuerit, si creditor ipse Ius dominii voluerit impetrare: Nimis enim dure cum creditore agi, ait *BRVNNEMANVS*, *u*) si post moram debitoris integrum biennium expectare, et hoc durante tempore absque fructibus pignus retinere iniutus cogeretur. *x*) Circa spatiū, intra quod trina

m) *L. 4. D. de pignor. ac̄t. conf. Paul. Rec. sent. L. 2. T. 5. §. 1.*

n) *L. 18. D. de adm. tut. L. 4. C. de distr. pign.*

o) *conf. REITER. de alienat. P. 2. c. 19. secc. 4.*

p) *p. L. fin. §. 1. C. de I. domin. L. 4. C. de distr. pign.*

q) *conf. ILL. BOEHMER. ad Tit. D. de distr. pign. STRYCK. vſ. mod. b. t. HOTTONMANNVS. ad Tit. D. et C. de pign. Tit. V. p. m. 88. edit. Basili. 1586.*

r) *v. HVEER. ad Tit. D. de distr. pign. FRID. GERDESVS. Tr. de pign. f. 2. §. 19. in opp. T. 2.*

s) *L. 18. C. de distr. pign. L. 4. C. de pignor. ac̄t.*

t) *L. 1. 2. C. si ant. cred. pign. vendid.*

u) *ad L. fin. C. de I. domin. impetr.*

x) *conf. STRYCK. vſ. mod. ad Tit. D. de distr. pign. §. 7.*

trina denunciatio peragenda sit, Dd. mire dissentunt. Alii, cum FRANTZKIO, y) trinam denunciationem mensis spatium absoluere debere credunt, ita ut singulae denunciations decem dierum interuallo ab iniucem distent; alii tantum temporis requirunt, quantum iudicatis conceditur, quod olim iure Romano quadrimestre erat; z) In eo tamen omnes conueniunt, quod vna die ter denunciarri debitori non possit. a)

§. XI.

A pignoribus forte non inconcinne transgredimur ad praedia debitorum ita grauata oneribus, vt publicae pensationes ex illis solui nequeant, quoniam et haec Iure Romano vendere permisum erat; b) Ast nec horum venditio selemnitatis destruetur. Primo enim requirebatur cessatio Tributorum, siue collationum, quae annua exactione soluuntur. c) Quantum vero temporis spatium sit intelligendum, dubium, cum illud leges haud determininent. Alii triennium ad instar ecclesiae desiderant, cui Fiscum in legibus comparari dicunt; d) Alii sex mensum; e) Alii triginta dierum; f) Plurimi tamen arbitrio locum esse statuunt. g) Altera huius venditionis solemnitas est, vt fiat ex permisso Praesidis; h) Alias enim, si

D nullia

y) in Comment. ad Tit. D. de disfr. pign.

z) p. Tit. C. de us. rei iudic.

a) v. BEYER. ad Iasf. Tit. de obligat. plura vid. ap. MOLINAEVM
in Tr. Commerc. qu. 49. n. 346.

b) v. Tot. Tit. C. si. propt. publ. pensit.

c) arg. L. 1. C. b. t.

d) p. Nou. VII. c. 3. §. 2.

e) arg. L. 10. C. de annon. et tribut.

f) L. 5. C. de ergo. milit. annon.

g) vi L. 21. D. de iudiciis.

h) L. 2. C. b. t.

nulla autoritate Praesidis praecedente facta fuerit, hanc ratam haberi iura non concedunt, sed quod frustra gestum est, reuocatur, cum indemnitatibz tributorum omnibus modis debeat consuli. Tertio denique fiat illa necessitas est ab his, quibus periculum exactionis tributorum imminent. *i)* Quae venditio his sollemnibus celebrata perpetuam habet firmitatem, *k)* et reuocari non debet, licet prior dominus pretium offerrat. *l)*

§. XII.

Statuta etiam interdum praeter ea, quae iure communis requiruntur, alia adhuc in Emptionibus venditionibus adhibere iubent sollemnita. *m)* Exemplum praebent Budissinenis ciuitatis iura, quae venditiones domuum et rerum immobilium, pro validis haud agnoscunt, nisi obseruat certis quibusdam requisitis et sollemnibus. Primo enim emtor esse debet in numerum ciuium collectus, (er muss Bürger Recht geniesen,) *n)* deinde tenetur vendor dominium suum resignare, (er muss es vor gehegter Banck aufnehmen). Porro pretii solutio intra annum et diem promittenda; Quarto duo fideiussores, iisque ciues, qui possessiones habent, quique contrarium emptionis simul subsignarunt, sunt constituendi, de euictione praestanda carentes, et quinto denique ipsum instrumentum Actis publicis (dem Kauff-Buche,) jubetur inferi. Ad sollemnitas haec

atten-

i) L. 2. C. eod. conf. BRUNNEMANN. ad all. tit. C.

k) L. 1. C. b. r.

l) L. 2. C. si antiqu. credit.

m) Iuria etiam desiderat lus statut. Francaf. in Reform. P. 2. tit. 2.

§. 26

n) Hoc Requisitum etiam secundum aliorum locorum statuta obtinet. conf. KEMMERICH. diff. de facult. alien. et acquir. conf. l. vn. C. nou. lice. re habilit. metropolitanae.

attendenda et Forenses ibidem contrahentes sub poena nullitatis obligari, notat praeiudiciisque firmat CARPOV. o) alias pronunciari solet; daß der Rauff, aus Mangel der darzu gehörigen Sollemnitäten, nicht beständig, siquidem circa actus sollemnia statuta et consuetudines locorum, vbi ille celebratur attendenda, nec latum vnguem ab iis recedendi facultas supereft. p)

§. XIII.

Hactenus de priuatarum venditionum egimus sollemnibus; sed et publicis, quae sub hasta fiebant, et quibus praeferunt pignora publica distrahi moris erat, sua sunt sollemnia, a legibus tam Romanis, quam Germanicis, praescripta. Quoad priora illud imprimis exinde apparet, quod in Codice Iuris Iustinianei plus simplici vice sollemnis venditionis nomen ipsi tribuatur. Requirebant vero in hac Fiscali venditione, Proscriptio, Autoritas Procuratoris Fisci, Hasta, Praeco, Quaeſtor, Addictio. Proscriptionis iam CICERO q) meminit, qui possessiones venales et proscriptas refert. Erat autem proscribere Programmate in tabula publica affixo rem venalem publice proponere, simulque auctionis futurae dies, leges, conditiones indicare. r) Fiebant hae proscriptions eodem CICERONE teste s) in celeberrimis urbis locis. Qui mos nec Iustiniani aeuo desissit videtur, qui itidem in celeberrimis regiae urbis locis res proponi iubet. Ipsae deinde

D 2

hae

o) L. V. Rep. I. n. 8.

p) v. L. 6. de iure conf. WILDVOGEL. Diff. de statut. Budissenf. collat. cum I. ciu. et Saxon. comm. §. 59. inf. B. HOFFMANNI script. Rer. Lusat. T. III.

q) de L. Agrar. Id. L. III. de offic. ibi: aedes proscripti, vendidit.

r) I. 7. C. de bonis profer. conf. BRISSON. de Formul. L. VI.

(s pro Quintil. c. 4. §. 6. ad d. PLIN. L. VII. epist. 27.

hae venditiones peragendae erant in loco publico, vñ Romæ olim in foro apud Argentarios. *t)* In iis necessaria erat Procuratoris Fisci præsentia, *u)* qui etiam Rationalis, *x)* item Patronus et Aduocatus Fisci in luce passim appellari solet, et res fisci administrabat ac debita exigebat. *y)* Haud minoris quoque momenti erat hastæ sollemnitas, *z)* quippe quæ abesse plane non poterat. Hastam enim in foro positam præcipuum venditionis publicae signum fuisse, iam *FESTVS*, *a)* antiquissimus latinae linguae interpres, autor est, cui omnia, quæ publice venibant, subiiciebantur, idque non modo in honorem Romuli, cuī hastæ vsus maxime familiaris fuerat, sed ideo quoque factum esse pater, vt hoc tutissimo Iuris Gentium insigni plures allicerentur licitatores. *b)* Hastæ Praeconem olim adstitisse, pretia oblata enunciantem ex *CICERO* *c)* et veteri *HORATII* Interpretē *d)* aliquis Romanorum Scriptorum locis edoceatur. Erant autem Praecones personæ publicæ, statu ingenuæ, quibus Romani veteres, quoties populo publice quid renunciandum esset, vtebantur. *e)* Clausulam denique huic negotio imponebat Adiudicatio, sive Addictio rei emtæ per iudicis sententiam. Hisce sollemnibus alii Interpretum addunt Quæstoris præsentiam

t) *L. 18. D. de Petri. Baered. L. 8. D. de solut. CORN. VAN ECK præcip. Iur. T. II. p. 439.*

u) *L. 1. C. de fil. et iur. hastæ.*

x) *L. 4. C. eod.*

y) *ILL. HEINECC. Antiqu. L. 1. T. 25. §. 12. et VAN BYNCKERSHOECK obſ. I. R. L. II. c. 20.* *z)* *L. 1. z. 3. C. eod.*

a) *v. Hasta.*

b) *RHODIGIN. leg. antiq. L. XXI. c. 16. 17. conf. ROSIN. Antiqu. L. III. c. 2.*

c) *Orat. pro Quint. Id. in Philipp. 2. verb. Quis hastam illius venditionis vidit, quis vocem praeconus audire.*

d) *in fat. VI L. 1. v. si præco. add. BRISSON. de formul. L. VI.*

e) *V. SIGON. de Aut. I. pop. R. L. 2. c. 15.*

sentiam et auctoritatem, f) nec non ut rerum distractarum pretia ab Argentariis in tabulas redigerentur. g) Sine ha-
stae sollemnitate Iure Romano Fiscus nihil vendere poterat,
sed eius venditio ea neglecta rescindebatur, h) cum seruandis
haud seruatis mala fides praesumeretur. i) Hodie haec
subhastationis sollemnia pro Iurium et statutorum localium
diversitate variant, cum istae venditiones publicae ab illis
formam accipient, quae princeps pro lubitu augere potest
ac diminuere. Iam olim iudiciales pignorum venditiones
Germanorum moribus certis sollemnibus solebant peragi,
quae exhibet I. Prou. Sax. L. 1. art. 70. j. Glossa ad I. Munici-
cip. art. 20. Ius Saxonum nouissimum varia in vendi-
tione publica desiderat requisita. Haec vero pro rerum illa
distrayahendarum varietate vel Auctionis vel Subhastationis no-
mine venit. Illa circa res mobiles obtinet, haec vero circa
immobilia. In utraque vero quicquam modus procedendi, quae
obseruanda sollemnia, non rectius quam ex ipsis legibus ad-
discuntur: Secundum has enim alia negotium praecedunt; alia
ipsum actum concomitantur. Auctionem itaque rerum mobi-
lium praecedit, iuxta tenorem Ord. Pr. Sax. ad Rec. T. XXXIX.
§. 9. adcurata a iudice facta earum consignatio et aestimatio
sive taxatio, nec non certi ad auctionem suscipiendam diei
constitutio et publica eius promulgatio. Ipsam vero publi-
cam proclamationem sive Auctionem hunc in modum legi-
mus praescriptam: Um die zur Auction angefeste Zeit aber,
wird durch eine Gerichts-Person, oder dazu verpflichteten
Auctionatore ein Stück nach dem andern ausgerufen, und

D 3

mit

f) GOTHOFR. ad Tit. C. de Fid. et I. hastae.

g) I. 88 D. de solut. conf. MATTH. in Tr. de Auction. CORN. VAN ECK.

Pr. I. Tit. D. de Ent- Vend.

h) I. 12. C. de F. et I. hastae. I. 16. C. de Ref. Vend.

i) Alciat. III. Praef. 13.

mit dem höchsten Preis zum ersten, andern, und dritten mahle proclamirt, auch, wann inzwischen weiter niemand licitirt, so gleich nach dem dritten Rufen zugeschlagen. Subhastationem vero quod attinet, per quam hic intelligimus necessariam, quae ex Legis praecepto et iudicis decreto fit, ea itidem non nisi seruatis seruandis valet. Quare primo praemittenda est consignatio rerum ad immobilia pertinentium, hastae subiliendarum, rerumque ad inuentarium spectantium. k) Hanc consignationem sequitur Programma subhastationis eo fine, vt ad omnium quorum interest, notitiam subhastatio perueniat, propositum, idque in loco publico intra certum tempus, quod ad minimum octo includit septimanas, affigendum est. Insuper quoque in vrbibus illud Programma tribus vicibus, singulis nimirum quaterdenis publice iubetur proclamari. Cum tamen dubium esset, vtrum haec dispositio ad Feuda quoque sit extendenda, Serenissimus Legislator per interpretationem authenticam negatice respondit, in Rescripto peculiari ad Dicasteria a Domino Præside mihi communicato, quod sequentis tenoris:

Friedrich August, König und Churfürst, sc.

Hochgelahrte sc. Nachdem bey Subhastation des Guthes M. sich wegen der in Unserer Erläuterten und verbesserten Proces-Ordnung, erwehinten Ausdruffung von 14. Tagen zu 14. Tagen, Zweifel ereignet, und Wir, daß solche von den Ritter-Gütern nicht zu verstehen, nach der Beylage, sub A. decidiret. Als habet ihr auch eures Orthes, euch fünftig im Sprechen darnach zu achten.

k) *Quacnam attendenda sunt solennia si bona Feudalia sub hasta veneant exponit all. Ord. Rec. §. 11. et 12.*

ten. Daran ic. Datum Dresden den 24. Maii Anno 1725.

Christian Heinrich Dienster,
A. C. Hahn, S.

A.

Friedrich August, König in Pohlen, Churfürst
zu Sachsen ic.

Wester Rath und Liebe getreue; Aus der Innlage erschet,
ihr mit mehrern, was an Uns Fr. O. Dr. wegen der
bey der Subhaftation des Ritter-Guthes M. unterlaſſen
nen Ausruffung abermahls anhero gelangen laſſen und
mit Beyfügung einiger aus Unsern Dicasterii zu Wit-
tenberg und Leipzig erhaltenen Informaten allergehor-
samst gebetzen; Nachdem Wir am 10. April leſthin
in der G. Subhaftation Sache, die den Amtmann, daß
die öffentliche Ausruffung, als welche bey den Ritter-
Guthern, außer was in termino licitationis nach der
erläuterren Proceß- Ordnung ad Tit. 39. §. 15. in der
Amts-Stube geschicht, gar nicht erforderl wird, anbe-
fohlen, und es dabeys des von dem von Dr. beschēnen
Aufführens ungeachtet, nachmahls bewenden laſſen, auch
an Unsere Schöppen-Stühle und Iuristen-Facultäten
zu Leipzig und Wittenberg bereits deswegen das nöthige
verordnet, Als begehren Wir hiermit, ihr wollet
obhangeregten Rescript gehörig nachleben, und Suppli-
canten dessen also bedeuten. Daran ic. Datum Dres-
den am 24. Maii 1725.

Qua ratione vero in pagis hae patentes literae sint promul-
ganda, docet Ord. Rec. ad T. XXXIX. §. 12. In ipso termino
Subhaftationi praesixo, per Ord. Rec. hora audita X. bona cum
potiore

potiore pretio in loco Iudicij publice edici, et hora meridiana audita illi, qui alias licitar^{et} luperauerat, addici solebant. Attamen cum a callidis hominibus huius legis dispositio ita inuerteretur, vt ante campanae sonitum, aut terminum præterlapsum otiosi quasi et aliud agentes assiderent, instante vero tempore demum assurgerent, et vnu alteri, quo ultimum et maximum obtineret licitum, insidiaretur, varia inde enascebantur incomoda, ira, vt saepius incertum dubiumque videretur, quis licitantium fuerit ultimus. Quare et hisce fraudibus occurrere et malo exinde oriundo mederi statuit Serenissimus ac Potentissimus Legislator Saxonicus per Mand. nouiss. de an. 1732, sub d. Warschau den 26. Aug. in tantum mutando dispositionem Ord. Rec., vt hora demum meridiana auditum fundum cum summo licito iterum proclamari iubeat, simulque rerum immobilium emitoribus de pretio cum caeteris aemulis certandi, auctionis ritu, facultatem concedat. Formula, quam in proclamando all. Mandatum praescripsit, tribus distinctis interuallis enunciata, omnibusque, qui adsunt, conticescentibus ille, qui pinguissimam obtulit conditionem, signo a Praecone dato viator abire, illique res, quae voci praeeonis subiecta erat, addici solet per verba clara all. Mandati Regi. Omissio vel neglegētō uno alteroue horum sollemnium venditiones publicae haud subsistunt, sed ipso Iure nullae sunt, iis vero rite obseruatis perpetuo illae firmae habentur omnemque conquerendi causam excludunt. Quare ob publicam hastac fidem nec laesio ultra dimidium eas infringere poterit, quantum repugnet alii. 1)

§. XIV.

1) conspirat. ORD. POLIT. MAGDEB. de a. 1688. c. 22. §. 12.

§. XIV.

Coronidis loco addimus, quod Iura Germanorum in quorumcumque bonorum immobilium Dominii translatione sollemnem a venditore in iudicio factam voluntatis suae declarationem requirant, quae vulgo Resignatio iudicialis audit. Huius sollemnitatis originem, si non ex antiquissimis Ripuariorum Legibus, *m)* ad minimum tamen ex iure prouinciali Saxonico, *n)* et Suelico, *o)* nec non iure Municipali, *p)* (cum quibus etiam ius Lubecense *q)* conspirat) repeti posse credimus. Neque hodie illa obsoleta omnino est et antiquata: Viget enim adhuc et obseruatur in omnibus regionibus, quae antiqua Iura Saxonica retinuerunt, vel Iure Lubecensi viuunt. Forma tamen illius pro legum diuersitate variat. Iure Lubecensi illa absolvitur; Cessione sive Abdicatione, et Inscriptione in catastrum publicum publica autoritate expedita. Ius autem Saxonicum Electorale et quidem Decis. LXI. requirit primo Renunciationem dominii a venditore coram Magistratu competente, et quidem in pleno eius consensu, faciendam, deinde Inuestituram de re emta nouo possessori a Judice concedendam. Neglecta haec Resignationis sollemnitas, quamvis ipsum venditionis negotium non annihilet, nihilominus tamen dominii translationem impedit, non obstante traditione extra judiciali. Hinc emtori etiam omnes dominii effectus denegantur et, si res duabus vendita, illi tantum cedit, cui

E

tradi-

m) vid. BALVZZ. capit. T. I. p. 43. conf. VADIANVS. L. 1. de Collig. et Monast. ap. GOLDAST. T. III. script. Rer. Alem. edit. noui.

p. 17.

n) L. I. art. 8, 33. ibique¹ Glossa Germ. it. Art. 52, 59.

o) cap. 308.

p) art. 20.

q) conf. MEVIVS ad L. III. T. 6. art. 1, 7.

348 DE SOLLEMNIBVS VENDITIONVM.

traditio a venditore iudicialiter ita facta. r) Denique praetermittendum non videtur, quod Dd. nonnulli hanc iudicialem resignationem ex antiquo Iure Quiritario et Mancipatione, de qua supra a nobis dictum, deducere ac deriuare allaborent, quamuis infelici, vt putamus, successu, cum iam olim ab ipso Imperatore Iustiniano haec fuerint immutata imo Mancipationis et Resignationis sollemnia toto, vt dicimus, coelo a se inuicem distent. Sane Resignationis in Germania vsus longe antiquior est vsu et receptione Iuris Iustinianei. Celsat tamen hodie resignationis sollemnitas in Electoratu Saxoniae per Ord. Rec. ad Tit. XXXIX. §. 18. in praediis sub hasta venditis subsecuta adiudicatione iudiciali, quae hic resignationis vices sustinet. Annotasse denique non pigebit, quod resignationi huic analogum quid in Belgio obtineat, vbi nimirum ex huius prouinciae legibus professio apud populum aut Magistratum et in Acta publica re-latio requiruntur GROTIO, s) VOETIOQUE t) testibus.

r) v. KLIN: *Diss. de Resignat. indic.*, §. 32.
s) de I. B. et P. L. II. c. 6. §. 1.
t) ad D. L. XVIII. T. 16. n. 6. p. 814.



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO RESPONDENTI
D. FERDIN. AVGVST. HOMMEL
SALVTEM.

Recipe ergo a me Tuum
hoc, quod Marte pro-
prio conscripsisti spe-
cimen. Neque enim
in eligendo themate, neque in eo-
dem elaborando meo usus es conser-
lio, sed iam tum conscriptam differ-
tationem mihi exhibuisti. Pauca
addidi, cetera, ut nosti, illibata re-
liqui, cum optime intelligerem, quam
pefime saepe cohaereant aliorum
E 2 placi-

placitis interpolatae doctrinae. Et
quamvis dissimulare nequeam esse
quaedam adhuc, quae, si mihi con-
creditus fuisset hic labor, aliter forte
ordinasssem; tamen cum incognita
mibi non sit Tua in disputando
dexteritas, certo confido fore, ut
cuncta haec masculo defensurus
sis animo. Probo igitur institutum,
laudo conatus Tuos, qui eruditionis
editurus specimen proprii ingenii
neruos intendere, quam aliorum ope-
ra vti maluisti. Egregie desuda-
sti in elaborando hoc themate, nihil
quod

quod ad argumentum tuum ornandum perpoliendumue facere videbatur practermittendo, Tuamque in Iure et quauis arte liberali haustram doctrinam prodidisti insigniter. Sed praecome non indiges, nec laudes Tua patitur modestia, quamobrem nihil mihi reliquum esse sentio, quam ut abitum ex Academia nostra medianti exanthlatos nunc labores animitus gratuler, patriamque Tuam et bonos omnes optima quaeque de Te sperare iubeam. Dab. Lips. IX. Kal. Sept. cIz Icc XXXVII.

* * *

Leipzg, Diss., 1737 A-c

VD 18

ULB Halle
007 541 872



3

50

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
CONSENS V

DE

SOLLEMNIBVS VENDITIONVM

P R A E S I D E

DN. D. FERDIN. AVGVSTO HOMMELIO,

DE V. S. ET R. I. P. P. ORDIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

PRAECEPTORE SVMMOPERE COLENDO

D I S S E R E T

A. ET R.

IOANNES AVGVSTVS SOHR,

GORL. LVSAT.

LIPSIAE D. XXIX. AVG. AN. M DCC XXXVII.

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.

90

1737,8